

[p. 209.]

## CAPVT VII.

DE

NVPTIIS ET TVTELA  
FEVDA LI.

## DISTINCTIO I.

*Inter matrimonium vasalli cum pa-  
cto morganatico, et absque illo con-  
tractum.*

**C**irca nuptias vasallorum iure feudali ni-  
hil singulariter statutum reperies, ergo ratione  
illarum attendendum erit ius commune. Pa-  
ctum tamen, quod dicitur, morganaticum nu-  
ptiis contrahendis adiiciendi potestas iure feu-  
dali Longobardico vasallis concessa est.<sup>1)</sup> Hinc  
est, quod de matrimonio ad morganaticam, vel  
morgengabica, siue, vt alias dici solet, ad  
L. Salicam contracto, Germ. *Vermählung zur*  
*linken Hand*, in iure feudali agi soleat. Pluri-  
mum vero interest, an vasallus matrimonium  
secundum ius commune, an vero adiecto hoc  
pacto morganatico, iure feudali fundato,<sup>2)</sup> con-

*Jo. Petr. de LVDEWIG* in diss. *de primo foro subfeu-  
dorum Imperii*, [in eiusdem *Viri opusc. miscell.* tom. I.  
Hal. 1720. f. lib. II. opusc. I. pag. 646 — 740.] &  
*Diet. Herm. KEMMERICHIVM* in diss. *de statu Rei-  
publ. Germ. feudali*, nec non, quae dixi ad cap. III.  
Dist. MOËL.

1) *II. Feud.* 29. Potius, vti alibi, scilicet *II. Feud.* 26.  
§. 15. idem Feudista scriptum reliquit: *quamvis ra-  
tione improbetur talis conditio, ex usu tamen admittitur.*  
WOL.

2) Iure feudali fundatum quidem haud dixerim,  
sed tantummodo retentum. Fundamentum invenit  
po-